

8
1966
16 38

IO
SIVE DE
ΣΥΜΠΑΘΕΙΑ I POETICA
DISSERTATIO PHILOSOPHICO - CRITICA
PARS PRIMA

QVAE

EX AVTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

A. D. XIII. OCTOER. MDCCCLXVI.

AB HOR. IX.

ERVDITORVM VIRORVM EXAMINI SVBIICIETVR

PRAE SIDE

GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH

A. M. SEMINARI THEOL. ET ALVMNOR. REG. INSPECTORE

DEFENDENT E

CHRISTIANO GODOFREDO SCHÜTZ,

SEMINARI THEOL. SENIORE.

HALAE,

LITTERIS BEYERIANIS.

10

zivie du

ZYMPHQEI A! POFTEGA

DIES DIALEKTIC PROSODICO. CRITICA

ATR. ERIM.

2002

UT AUTENSTADT ALEXANDER SIEGOVIA GENINE

ALLEGORIE PROLOGUE MOCINIA

ALLEGORIE

TRADITIONALE ALLEGORIE ZWINGER SCHICHTER



BOTTLER THEATRICO SCHIRAGH

A. W. SCHMIDT'S THEATRICO LIBRARIUS IN HALLIS

MAX. NORDSTADT

CHRISTIANO GODOLPHO SCHINTZ

SPIEGELAUSSENTHÜML. SEZ: GEB.

111

111

A D
FRANCOGALLIAE
E T
MVSARVM DECVS
MAR MONTELIVM.

AD

ERANOGAELIAR

ta

MASARUM DECAS

MAMONTEIUM

Quod optauit semper, VIR QVAVIS LAVDE
D I G N I S S I M E, cum primum suavitatem,
quam animus gratus ipse ingenuo homini adfe-
rat, experiendo didici, vt iis, qui non, quo gra-
tiae sibi referrentur, aut mei potissimum rationem
haberent, me tamen, quasi incisi ipsi, beneficiis
ornassint, illum humanitatis dulcissimum sensum
significare saepius possem, quodque per liberali-
tatem animorum magnorum iam aliquoties mihi
contigisse lactor, eius voluptatis et TE, MAR-
MONTELI, inscribendo T Y O nomini illustri hoc
libello, profiteri auctorem, vt ad laudem T Y A M
parum, sic ad officium necrum jucundissimum esse
videbatur. Non igitur morem fecutus patroci-
nio T Y O trado libellum, quo mihi nec arrogan-
tius quidquam, nec leuius videtur, siue enim dig-

nus **TVO** plausu vltro eum nanciscetur, siue exilis
auctori suo, indigna petenti, cumularet culpam.
Gratias tantum, gratias **TIBI** reddo, quod, quam-
cunque libello huic impendi operam, excitasti,
fouisti, multisque sustentasti praesidiis. Nam-
que dudum erat, quod rudes indigestasque ob-
seruationes de eadem, quam nunc tractare sum
ingressus, materia collegeram, cum incidens in
Artem TVAM poeticam, monumentum gloriae
TVAE sempiternum, ea inuenirem, quae diutur-
num desiderium frustra quaesierat. Disputaue-
ras enim de sensu participante itentidem, fon-
temque *similitudinis* et *vis*, idem etiam triplicem
illam, quam in hoc quidem libello tantum tetigi,
delectationem indicaueras, quod etsi pro insti-
tuto **TVO** breuius et quoad in narratione tantum
locum haberet, ita tamen luculenter accurateque
fece-

feceras, ut mihi quasi monstrares locum, quo ef-
fodiendo aquae fontem sat benignum reperirem.
Quia tamen erga hominem ignotum humanitate,
quasi TIBI nondum satisfecisses, TE valde cupere
ostendisti, ut hanc dicendi materiam consulto
quidam tractaret. Quid igitur tandem sit, quo
TIBI me satis gratum exhibeam? Hoc, si me non
posse, plane p[re]a me feram. En TIBI, quod de-
siderasti, opusculum, nisi perfectum, at inchoa-
tum, nisi optatum, at summae fidei et industriae
testem locupletem. Quodsi reperies plurima vi-
lia et nimis trita, parua cogitabis omnia initia so-
lere esse, meliora expectabis. Adderem plura
quae ad illud scribendi genus pertinerent, nisi et
TV orbi et TIBI ego notus essem. Nullas TV lau-
des admittis, quia omnes antecessisti; quae na-
tura sua sunt pulchra, non alieno egent ornatu;

quo

quo destituta, ut formosa puella, nitidiora splen-
denter. Non profecto TIBI dabo, quae TVTE A TE
ipse sumis. Ego vero TVAM in me benevolentiam,
cuius per literas, mihi humanissime scriptas, edi-
disti documenta firmissima, ita perspectam habeo
exploratamque; ut commendatione nulla, nisi hac
egere videar, quae neque verbis, neque homine,
sed virtute quaeritur et sapientia; cuius, quae ad-
est, partem aequitas TVA excusabit, indulgentia,
quae deest, eam compensabit. Flore patriae,
Musis atque mihi. Scripti in Alma Frider. a.d.
XI. Octobr. MDCCCLXVII.

NOMINI TVO PERILLVSTRI

OUP

GOTTLOB BENEDICTVS SCHIRACH.



PRAEFATIO.



Cum Socrates Ionem docens vim, quam in animos hominum exserat poësis a), ridendo, opinor, sui aëci interpres, veriora legendi desiderium procreasset, ipse hanc rem mecum paulo accuratus perpendere coepi. Iam vero adductus cupiditate intelligendi, an, qua per duo fere annos cogitata apud me constitissent, doctis viris placent, edere statui, quorum primam partem hæc dissertatio complectetur. Ionis nomen unde tulerit, inde paret. Differat de sensu, quo in legendis poetarum scriptis, reditu ad nos, adscimur, quem nos cum Francogallis appellamus *Interesse*, Greci *συμπαθεία* bene possunt vocare, ego tamen, quia sermo romanus verbo careret, participantem res seu participem rerum nominare audeo.

B.

Si

a) vid. in Platon. opp. Ionem. p. 361. sqq. ed. Francof. 1608.



Si qui fint, quorum religionem haec audacia offendat, ne libellum perlegant, rogo, non enim praestem eiusmodi, qualem ego hic traetem, materiam non amplius me eo redacturam esse, ut sequar *Ciceronis* b) et *Ernestii* c) auctoritatem; hac tamen me temere nihil esse abusurum, id praefare possum. Dictis, quae monenda esse arbitrabar, rem ipsam aggredior.

§. 2.

Amor sui ipius in homine in omnibus actionibus conspiciendus: incundus est et efficax, ut etiam ad virtutem nos ducat; affectuum fons, qui hominem continuo tenent; excitantur illi a poësi. Error inde natus. Quomodo poemati commotiones sint tribuenda.

Natura benefica homini amorem sui ipsius iniecit, finxitque eum, qui, quaecunque percipit, ad se reuocet & inde aueretur, quae praeuidere existimat sibi aut minus utilia, aut noxia etiam fore, cupiat et amet; quorum ad se pertinere putat utilitatem; cuius humanae indolis naturam subtilius excutere ab meo quidem consilio et hoc loco alienum arbitror, vim tamen tantum esse statuendam pater, ut quaecunque agat homo, in iis conspiciatur, nec cura quidem perfectionis et conseruatio sine ea consistere videatur, cum, quem ad amorem sui ipsius pellit natura, is perfectioni studeat necesse sit. Vinculum hoc certe est arctissimum, quo tenemur, homines conditione nati, societatem humanam vel nostra ipsorum causa colere, cum omne in hanc societatem peccatum cum nostro damno sit coniunctum; beneficium idem maximum, quo ei ad suavitatem vitae nihil potest esse dulcissimum.

nec

b) vid. Orator, c. 62. In omnibus hoc sit artibus, ut cum id appellandum sit, quod proper rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas coagat qui nouum facere verbum; aut a simili mutuari.

c) vid. Init. Rhetor. §. 288. Vocabula singula, quibus res appellantur, a posteriori aetatis scriptoribus perera nulla religio sit, si optimi non habeant eartum nominis; neque vel noua plane verba, conseruata analogia, fingere, in rebus nouis, si ar-
tiqua commode transferri nequeant.

nec ad agendum efficacius. Quae enim dulcedo maior esse potest ea, qua nosmet ipsi adscimus, qua nobis ipsi reddimur amici, gemina quasi persona et amantes et amati? O voluptas, qua sane nihil supra! qui vero etiam stimulus nos ad agendum incitare possit acerius quam ille ipse, quo si carerer homo, fixus esset

— like a plant on his peculiar spot

To draw nutrition, propagate and rot. *Pope d)*

Inuitat eadem φλαυτία ad virtutem, saepe urget, pellit, et vim eiusmodi prodit, ut non deessent, qui in doctrina morum omnium virtutum et officiorum magistram eam perhiberent; in qua quidem causa eti neque Lantium damnare neque Arnaldum defendere animus est, e) tamen id sentio, quod, quamvis more suo, id est, perobscure disputans docet mortalium optimus maximus, si a Christi discipulis discesserim, Socrates apud Platонem, f) qui virtutem exerceat, eum, quae utilia vere cognouerit, facere; atque utilitatem cum virtute esse coniunctissimam. Sed neglectis, quae ad causam meam non maxime faciunt, indicasse sufficiat, quam late regnet in vita indoles illa humanitatis, et quare haec disseruerim de poësi disputaturus, ostendere. Amorem, quo homo se ipse complectitur, affectuum omnium arbitror cum mitiorum placidorumque, tum vehementiorum et ardentiorum fontem atque causam. Quae amamus, nisi quorum est nobiscum quedam similitudo? An latro honestos viros recte diligit? Sed latrones maxime. Quae auersamur, odimus, detestamur, nisi a quorum coniunctione abhorret animus? Et affectus nonne ex duplice hoc fonte omnes proficiuntur? At quid in re nota tam multa? Habet tamen hoc ista hominis conditio, vt ne mortali quidem una fere hora ab omnibus animi commotionibus vacua concedatur, vt recte

B 2. *videtur utrumq. causa habeat ostend.*

d) *Essay on Man. Ep. II. v. 59. sqq.*

e) vide, si de re ipsa cognoscere cupis Reuschii disput. de amore Dei puro Ien. 1746.

f) conf. eius Protagoram cum Menone, in primis pag. 245. sqq. cum pag. 419. ad finem sqq. ed. Francof.



ostendit Youngius, g) cuius accuratae explanationi hic nihil addere lubet, nisi cum homo, qui se ipse amat, vi sua atque natura, idem ad agendum sit pronus, inde claritus intelligi, cur affectibus fere continuis obnoxius sit, diuersis illis quidem, lenioribus nempe et incitatoribus, sed ad hominem occupandum idoneis. Clarum est vero, omnium ut cupiditatum ita commotionum originem a sensuum impulsione et phantasiae concitationibus esse repetendam. Quae vero praecipuo quodam modo et sensibus se imprimunt et phantasiam excitant, ea patet nos commouere etiam debere; quod cum de poësi valeat, in errorem nonnullos videtur abduxisse, qui hanc artem, naturam eius desinentes, commotionum interpretem appellarent, inter quos *Raciniūm iuniorem* h) ideo numerare placet, quod habet eius sententia, quo ad verum in diuidicanda vi poëfis proxime accedit, quin etiam viam ad illud inuenientum praeclare ostendat, quod post magis patebit. Commoueri nos poësi in aperto est, si eo intelligatur sensus, qui excitantur legendis poëmatibus; etiam si commotiones proprie illae appellari non vlique possint, i) sensus eosdem suaves, incundos, diuersos eosdem ab aliis sensibus esse ita constat ut esse obscurum videtur, quae sit natura huius sensus. Hanc itaque naturam examinare iuvat; possumus fit autem imprimis, quod de *Philautia* et eius natura disputauimus.

§. 3.

g) Vom wahren Werthe des menschlichen Lebens p. 61. 67. sq.

h) vid. Oeuvres de M. L. Racine. T. V. p. 44. sqq.

i) Non enim id concesserim Crameru, qui, quamvis multa laudabiliter proferat, nimis angustis tamen limitibus poësin circumscribit, appellando commotionum animi elocutionem. Sensus enim et commotiones animi sive effectus (Empfindungen und Leidenschaften) inter se vere differunt, vtrumque autem regnat in Poësi. Neo idem ego sequor refutationis Schlegelii negantis, quae dixisset Crameru, cadere in poësin pingentem, quod contra est, ut infra ipsa res docebit. vid. Cramer Uebers. der Psalmen, V. Abhandl. p. 262. et Schlegel in Barreux Einschrenkung der schönen Künste p. 350. sq.

§. 3.

Qualis fit sensus ex pulchro quodam poëmate natus, explicatur exemplo et natura hominis. Sensus est participans, qui definitur et explicatur. Poësis tractat res definitas, in sensu incidentes, relatas ad nos, quae propter Philautos nos suauiter afficiunt. Auctores nostrae sententiae de sensu participe rerum laudantur Abbtius, Marmontelius, Lessingius, Klopstockius.

Descendamus in nosmet ipsos, inquirentes in sensum, qui nos occupat, cum pulera legimus poëmata. Lego Didonis Aeneam amantis fortunam k); perfidus parat abitum, iam timeo amanti, comperit regina, dilectum Aeneam moliri abitum, et

Saeuit inops animi, totamque incensa per urbem

Bacchatur.

Corripit me ira, Aeneae succenso: tum regina his verbis Aeneam compellat: l)

Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum

Posse nefas? tacitusque mea decidere terra?

Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,

Nec moritura tenes crudeli funere Dido?

Mene fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam te,

Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui,

Per connubia nostra, per inceplos hymenaeos,

Si bene quid de te merui fuit aut tibi quidquam

Dulce meum: miserere domus labentis et istam,

Oro, si quis adhuc precibus locus, exire mentem etc.

Qualis est ille sensus qui hic nos occupat? Videmus Didonem orantem, adsumus ei, perciti eius fortuna optamus, ut locum precibus Aeneas relinquat; quid est hoc aliud, nisi idem cum Didone facimus, exuta quasi in ista mentis occupatione mente nostra, amantis infelis affectus induimus.

B 3

Nos

k) Virg. Aen. IV. v. 290. sq.

l) v. 305.



Nos infortunia laedunt. m)

Sed unde haec quasi transformatio, unde haec animi affectio? Amor sui ipsius hominem rapit ad coniunctionem cum iis, quorum secum videt similitudinem. Cum adspicimus feminam depereuntem virum, comparatione quamvis celeri et insciis fere nobiscum facta eundem in nobis deprehendimus humanitatis instinctum. Similis nobis est Dido; at infelix, at miserabilis; et hoc ipsum est, quo acrius mouemur; homines humanitatis indolem calamitate pressam dolemus, quae cum hic in sensus incurrat definita adiunctis, in uno, quod aiunt, individuo, eo magis nos copular secum, quo adiuncta magis similitudinem augent. Id unicuique lectori hic contingere quare probem, cum prouocare vere licet ad omnes, qui non sunt crasto aere nati? Exstigit igitur, quem descripsimus, sensus, redditu ad nos facto, qui deinde res ipsas participauit, adeoque sensus participans seu particeps, nisi antique quoad latitudinem, tamen n) qui vim et naturam recte appellatur. Nostra lingua nominari *Intersesse*, vocabulo et ipso a Francogallis arecessito, supra dictum est. Sit igitur sensus participans *impressio animo facta, a rebus plane definitis, in sensus incurrentibus, relatis inter se, et ad nos, redditu ad nos ipsos delectans*. Poësin tractare res, quae incurrant in sensus, nec aliud quidem genus tentare posse, intelligit quicunque vel leuiter hac arte imbutus cognoscit omnes artes elegantiores auribus et oculis delectandis consecratas o), atque sensus alios esse externos, internos alios. quae vero imprimitur sensibus plane esse definita quem fugit? Quod dico relatas inter se et ad nos debere esse, id accuratius differendum videtur. Vniuersam rerum naturam cognitione continuata conspirare, ita certum est,

ve

m) Horat. Art. poet. v. 103.

n) Scaliger Poet. L. III. c. 26. tandem poematum virtutem obseruans efficaciam dicit.
Quod vocabulum, cum mihi altius naturam hominis investigatu nimis vagum videretur, faciendum putavi, ut quod magis e re mea esset, anteponarem.

o) vide praesclara inde collecta in Home Grundzüge der Critik T. I. p. 45.

7

vt iam antiquis philosophis exploratum haberetur, p) qui quidem rerum consensus nos cum natura ipsa vniuersa copulauit. Amor, quo ipse se homo fouet, incredibili eum pertentat laetitia, si ista relatio ad se met ipsum sensibus imprimitur, quae quo clariori appetet luce, eo dulcioram procreat voluptatem. Est autem poësos in primis, effice-re, vt delectationem in hac genere summam percipiamus. Ostendit enim illa nostrum omnia similia, hinc animas infundit et vitam rebus inertibus, hinc turgent gemmae in palmita, silent filiae, moritur herba languescens, rident prata. Hinc ars ingeniosa, cuius opus est,

Par des traits divers de figures tracés

Donner de la couleur et du corps aux pensées:

Brebeuf. q)

Hinc poësis etiam eisdem nobiscum affectibus habilitatibusque naturam instructam omnem ostendit, bene gnara eius generis illecebris hominem duci delectarique. Imitans enim incola terrae Don Quixotum Ceruantis r) sui vbique similes quaerens exigit a poëta, vt ipsum se fibi ante oculos ponat, si adprobacionem cupit. Ita est; ita animus hominum ad se omnia sentiendo reuocat, nec ullos sine relatione ad se ipsum sensus sive cognoscit. Quid? quod ipsae imagines poeticae, quibus id nonnulli alii viri docti negarunt, sensus eius generis creant, qui res ad nos referunt cogitando, nec esse, nisi dum nostrum φισταμενον adiungimus rebus, sensus posse experientia docet. Sed haec infra, vbi de poësi pingenti differemus, curatius contemplabimur. Quo me interim hic duce, quo me magistro tutari melius possim, quam Abbtio, qui quidem omnes sensus in litteris elegantioribus tali-

ad

p) vid. Cic. de Nat. Deor. III, II.

q) v. Poesies diverses de Mfr. Bernis p. 1. qui addit: On a éclairci, on a fixé tous les principes de la poësie en disant d'elle, qu'elle est l'art de donner du corps & de la couleur à la pensée, de l'action & de l'âme aux êtres inanimés.

r) conf. Pope's Essay on Criticism. v. 267. Quidam sibi suorum obiectorum



ad nos redditu effici ita luculenter probat s), vt nihil fere sit, quod addam nisi grati animi et voluptatis pleni significationem; ex illo iam tempore debitam, quo me de eo, quod dudum antea agitaueram, incertum mirifice confirmauit. Vbi enim legens librum ad istum locum praeter spem omnem perueni, qui cogitationes meas sustentaret, alegeret, illustraret, vt laetus sum! vt praepudio gestui! vt exoscularus sum librum! Iam verum cogitasti, tantus te vir confirmat! exclamans, iam tuam de vi poëseos eiusque natura sententiam audacius exprome! Attamen ne causa bona malo patrocinio cadat veritus, hucusque retinui imperium, dum *Marmontelius* meus stimulo ardentiissimo me rursus instigaret, vreretque, cuius de poësi Arabum opibus pretiosiora praecepta, quasi mecum conspirasset Francogallorum lumen, ad id quod cogitasse, omnia redacta erant. Cui quidem viro dicando librum, quae debet ostendam. Cum vero iam in eo essem, vt profligatam operam publicarem vreque cogitarem, libelle,

I fuge sed poteras tutior esse domi t)
de hoc et ipso metu plurima limauit doctrina viri, qui idem et poëta doctissimus et iudex elegantissimus iure suo habetur; hic quis alius esse potest nisi *Leſſingius*? Disputauerat enim vir sagacissimus in eo libro, quo contiguorum imperiorum poëseos atque picturae fines circumscribens per integrum commentationem ad sensum participantem, praeſtigiarum creatorem respicere iubet, u) de Philoctete Sophoclis x) tam accurate, tam vere, tam eleganter, vt mihi gratularer, quem occupasset idem exemplum tractaturum tanti doctrina viri et copiosa explanatio. Nunc prouocare ad ea iuuat, quae sententiam meam amplitudine ingenti ornant. At cur haec dixi, cur hos autores adſtupatoresque materiae meae hic nominauit? Scilicet futurum praeui-

^{x)} Vom Verdiente p. 193. fqq. ^{t)} Marial. L. I. Epigr. 4. f.
^{u)} Laocoont. p. 49. 166. sq. praeſertim 171. in fin den Wörlichen gebricht das Täu-
ſchende, worauf die Poëſie vornehmlich geht. ^{v)} Sec. 17. und 18. pag. 300 f.
^{w)} lege si diligis praeclara in libr. Iaud. pag. 34-49.

deo ut graui tutela egeam, qui ad vniuersam poësin omnesque eius partes accommodare hunc sensum velim et inde regulas derivans, nullum poëseos esse locum pati, qui non hac materia illustratus paterer. Addo itaque bene providus, magni *Klopstockii*, quem poëseos naturam interiorem callere quis demum ignorat? definitionem poëseos y) meam causam tam praeclare tueri, ut mihi vere hic gratuler postea plura super hac re prolatura. Ostendi itaque, esse sensum eiusmodi rei participantem in poësi, quae qualis sit nunc est videndum. Dixi cum nos delectare, iam addo diuersum esse, modo remissiore, modo ardentiore, ubique tamen non perspicuum, saepe obscurum; de quibus iam nunc differendum videtur.

§. 4.

Delebitare sensum participantem et re et exemplis probatur; esse etiundem ipsum non perspicuum saepe obscurum, ostenditur, sed tamen idoneum ad visionem efficiendum, de qua nonnulla notantur.

Quid tandem est, quo homo, sui ipsius amans, suauius affici dulciusque possit delectari, quam sensu illo, quo se multiplicatum videt, quo cernit omnia in orbe et vero et ficto eodem secum more agere, sentire, cogitare? Quam fingere nobis ipsi possumus voluptatem maiorem ea, qua nosmet nos ipsi adspicimus invenimusque ubique, aut nostrum similes, qua omnia ad nos pertinere deprehendimus, sive ad felicitatem nostram, sive infortunia facientia. Inest vero etiam posteriori generi voluptas; sensus enim misericordiae et doloris permisitos esse, nec voluptate nullos condire sensus poësin liquet, id quod etiam nostri acui Plato, scriptor in genere suo vnicus, satis probe demonstravit. z) Fruare iam mecum lector humana! fruare hac voluptate! Agnosce mecum mobilem nostram naturam! Propinqua cladi sua patria, imminentem periculo summo, cum trepidant concursantque cives exani-

C

mes

y) vid. den Nordischen Aufseher. T. II. 105. St. pag. 381. sq.

z) vid. incomparabilis Mosis Mendelii F. Philosophische Schriften II. Th. p. 1-66.



mes timore, gemitu et luctu priuata et publica omnia circumsonant,
oraculi effatum deposit ad necem Menoeceum Creontis filium, quo
devoto excidium Thebarum aueratur. Creon, ut est paternum pectus,
expauseens, filio seruando studet, et vrbe amouendo. Tum iuuenis
Menoeceus, patriae amore correptus, heroico haec proferi corde:

Μα τὸν μετ' ἀπέων ξῆν, Ἀγην τε φοίνιον,

Οὐς τὰς ὑπερτελαυτὰς ἐν γαλας ποτε

Σπατὲς ἀνάκτας τῆς δε γῆς ἴδρυσατο.

Ἄλλας εἴμι καὶ σας εὖ ἐπάλξων ἀκρων

Σφράξας ἔμαυτὸν σηκῶν ἐς μελαμβαθῆ

Δρόμοντος, ἐνθ' ὁ μάντις ἐγνήσατο,

Ἴλευθερώτῳ γαίᾳν, εἰρηται λόγος.

Στρέψω δέ, θαυμάτες δύοντος ἐν αὐστηρὸν πόλει

Δώσων, νότος δέ την δ' ἀπαλλαξώ χθόνα a)

Quomodo afficimur haec legentes? Nonne vrenti affectu tacti misse-
mus cum misericordia amorem ardente Menoecei? moueris mecum,
consule pectus tuum; unde haec emotio? Nempe homo est Menoe-
ceus, tui similis idem; patriam diligit, heroicam spirat virtutem, et
plane singularem, at cuius in te subito deprehendis semina, gaudes
itaque, esse in te tam laudabilis facti facultatem, te ipse melius nunc
cognoscis, supra te ipse extolli videris. O ineffabilis laetitia! o volup-
tas suauissima! quae inde redundat,

quae te tibi reddat amicum. b)

Hac, quasi diuino quodam afflato, raptus ardes, coniunctus cum hoc
amabili iuene, et quoad potes, cum choro canis:

— — — *οὐγαμεῖτ' ἀγαμεῖτα*

Οὐς ἐπὶ θάνατον οἴχεται

Γᾶς ὑπερ Πατέρας.

— — — *Γενομεῖτ' ὥδε ματέρες*

Γενομεῖτ' ἔντεκον φίλαι c)

Quem

a) v. Euripid. Phoeniss. v. 1013. sqq. pag. 148. edit. Barnes.

b) Horat. Epist. lib. I. ep. 18. v. 97.

c) Euripid. I. l. v. 1061. sqq. 1067. sq.

¶

Quem demum talia non tangerent? Quis est tam inhumanus, quin idem sentiret cum choro? Atqui hic est, quem voco sensum participantem. Hic iam video fore plerosque qui omnia, quae significasset, sensisse se negent, plurimos, qui perobscurè confirmant. Id vero ipsum est, quod volui. Quum enim omnis sensus ex pluribus reperiatur compositus, quam cogitatio, adeoque etiam iste particeps rerum in poësi, quia singula cogitatio pars est integræ illius, quem sensum appellamus, oriundum ex signis pluribus, patet inde, hunc sensum, quoad singulas partes, obscuriorum cogitatione deberet esse. d) Quæ quamvis vera sint, non efficiunt tamen, ut concedam eruditissimo Franco-gallo e), nequaquam mentem nostram poëeos practigiis ita capi, ut esset praestò rebus ipsis videremur; imo vero probant nos cernere, quamquam non oculis corporis, quamquam lusos specie, apud Aristophanem Socratem sedentem in alto calatho, dolere cum Philocleto, horrere cum Oedipo, magna cogitare cum Cido, amare cum Oresmanno. Imitationem hanc tantum esse in ista occupatione lubenter oblixi alii ipsi reddimus; neque haec est imitatione, ut vult Bosius, si dolor ipse histrio Horatium sequutus,

— Si vis me flerc, dolendum es

Primum ipse tibi. f)

nisi plane verbis ludere ceu talis velimus. Neque septentia viri de delectatione, quam percipimus, iterum eandem tragœdiam legentes, omnino vere se habet. Quanto rectius illo, qui omnia molitur sapienter, Marmontelius, hanc ipsam rem, mecum plane conspirans, tractat, ubi de tragœdiae delectatione quaerit. g) Est vero ita placuum, nos suavi illo sensu et mentis occupatione deceptos res cernere

C 2

ipsas,

d) Si plura cupis, adi optimi Moses Philosophische Schriften. 1. Th. 10. Br. & 2. Th. p. 13. sqq.

e) Du Bos, v. eius reflexions sur la poesie & la peinture T. I. Sect. 43.

f) Horat. Art. poet. v. 102. sqq.

g) vid. eius Dichtkunst, 2. Th. Cap. 10. p. 152. sq. & aliis pluribus locis huius cap.



ipsas, tanquam nobis praesentes, et non de tragœdiis solum, verum etiam de aliis poëmatibus valere, ut iam antiquissimi artis inuestigatores, praesertim vere sapiens *Longinus* itentidem hanc visionem, Gallis dictam *Illusion*, palam facerent, hic etiam eam integro capite indagaret, h)

Cice-

b) Cap. XVI. ubi, ut viri doctissimi semper crediderunt, non de imaginibus, quas nos vocamus, sed de *visions* (*Illusion*) exponit, quod acutum Boiauium aliosque non perspexisse miror. Cum dicat Longinus, esse ἐνόημα λόγω γνωστικῶν ὅπερι παρείπεται, & addat: οὐδὲς ἐπὶ τέτοιαν περιάτην τύπον, ὅπεραλλοις οὐτὸν διδοῦσιν καὶ πᾶντας βλέπειν δοκεῖ, quod diserte de omnibus & scitis imaginibus dici nequit. Neque alia est ἐνέγκεια seu evidētia, quam effectus *visionis* (*illusionis gallicæ*); omnia oculis subiecta, ἐνεγκένται cerno in ista occupatione mentis, εἰ τῷ φαντασίᾳ, qui effectus dum præstat, quae potest, summa, ἐπικλητις appellatur. Adcipulatur sententiae mesae a Tullio ad h. l. loca Dionys Haliclandata, omnique antiquitas. Cum vero in illa visione imagines rerum necesse sit conspiciam, hisque ex imaginibus videndis conficiatur *visio*, facilis fuit viorum doctorum error. Quae cum ita sint, assentiri non possum doctissimo *Lefèvre* (condonabit mihi modestia magni viri) arbitranti in Lacoont. p. 149. veteres, quas nos imagines poeticas appellemus, eas *phantasias*, & *illusionem* nostram appellasse ἐνέγκειαν. Aristoteles enim Rhetor. III. 4. & 10. pag. 473. ed. Cantabrig. *innotescit*; τὰς ποιητὰς diserte nominat comparationes, quas nos etiam imagines dicimus. Longinus autem integrō capite 37, quod nunc quidem amissum recte legimus τὰς παρεβολὰς καὶ εἰνοῖς separatum tractauerat, vbi imagines nostras poeticas querendas fuisse, multis, si opera esset pretium, colligere possem. Forrass me aliquid iuuavit editio noua & splendida Longini, quae nunc in Anglia paratur exhibitura nonnulla, quae in nostro textu nunc defunt. Et locus a summo viro ex Plutarcho commemoratus quid aliud nisi me ruetur? Num ἀ ποιητικοῦ φαντασίας, si sunt ipsae imagines, possunt esse ἐνέγκεια, somnia vigilantium? Num imagines possunt esse status mentis & affectiones ipsae? At tum res admundum vere se haber, si φαντασία est visio, tum status mentis a Plutarcho cum aliquo status sece comparatur. Exempla Longini ipsius probant visionem, visio seu imaginibus occupata, mentis esse affectionem eam, quam nos vocamus *illusionem*, quamque oportet imagines suppeditare.

Cicero i) vero et Quintilianus k) ad orationem imitantem poësin hoc in genere vim eius praeclare transferrent. Primum igitur poëtam amabilis ludit species, qua felici fraude qui caret, poëtica eum carere vena plane contendo; post sub oculis visa sua subiiciendo, si ad pectus humanum aditum norit, in quo officio poëtae exponendo omnis nostra disputatio versabitur, lectors adiungit rebus, secum rapit, quo vult, et dicit, et transformat, quo etiam modo vis diuini hominis Socratea comparatione cum magnete l) mirifice illustratur. Etenim

Ille per extentum funem mihi posse viderur

Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,

Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,

Vt magus; et modo me Thebis modo ponit Athenis. m)

§. 5.

Diversa συμπαθείαι vis, quoad hominum naturam et conditionem; Unde optime colligitur, utrum aliquis in sole poëtica gaudeat, an secus. De furore poëticō hinc nonnulla ducuntur.

Quoniam felices praestigias in poësi et fallacias sensus participantis defendendas suscepimus, ne male, quae protulerimus, videar disseruisse, non eandem ubique, immo diuersam hunc sensum vim exhibere arbitror, nunc nos incendere, tollere, agitare, nunc pungere, mouere, tangere, varias omnino induere vires. Cuius quidem discriminis duplex reperitur causa; altera ab hominis, a rei natura altera repetenda. Sunt enim, quorum cor triplici aere obductum ad omnem venustatis elegantiæque sensum occuluerit, abiecti a natura ad humilitatem; sunt etiam, qui spinosis et tenuibus materiai assuefaciendo animum, cogitandis continuo rebus vniuersis et infinitis (abstracta vulgo vocant) non iam amplius in hoc orbe versari videntur, sed ut comicus Socrates αἰγαλούστι

C 3

Kę-

i) de Orator. II. c. 44. sq.

k) Institut. Orator. Lib. VI. c. 2.

l) v. Platon. Ion. Opp. p. 365. sq.

m) Horat. L. II. Epist. I. v. 210. sq.



Κερπάσσαντες τὸ νόμον καὶ τὴν Φροντίδα
Δεπτὴν καταπίξαντες ἐς τὸν ὄμοιον δίέρα π.)

Quod hominum genus vel blandientes Zephyri, vel phîomela canora, flores pubescentes, et pecus et aves, in prao viridanti constitutum nequicquam ad laetandum secum inuitarent. Arceo autem hinc profanum vulgus, cui humanitatis sensum eiicere fuit labor, habilitatemque pulcra sentiendi a natura benigna inditam, quoad licuit, destruere. Vis enim insita, vt doctrina solet et vsu promoueri, ita potest, si inculta iacentis negligitur, debilitari. At iam nascientibus diligens et parca natura aliis fuit, aliis magis benigna et liberalis, quae quamquam ad sensum participantem, bene prouida nostrae voluptati, vnumquemque formauit idoneum, hunc tamen voluit magis eo morueri, quod suave esset et dulce, illum grauitate et sublimitate. Hinc in varia studia et ipsa poëtarum gens, alio aliud artis genus amplectente, scinditur. Qui vero omnino sensum participantem rerum probe coluit, e liberali naturae manu accepto ad id negotii molli pectore, hoc est, qui facile mouetur, adeoque, vt res omnes fingere suas, earumque se participantem reddere valeat, qui quiduis argilla vda imitabitur, seque, vbi cunque velit, ponet praesentem rebus, aliis hominibus iniisis, atque Alcibiadem o) sequutus, mores itentidem induet plane diuersos, qui denique, quicunque voluerit, is erit copulatus coniunctusque cum omnibus, eum natum dico poetam;

Hui Musae indulgent omnes, hunc poscit Apollo. p)

Si qui sit, qui ea se deprehendat, quam descripsi, instruatum naturae felicitate, gaudeat ille, gratuleturque patriae de se poeta nato. Quaecunque enim de divite poetæ vena mente diviniori, de ore magna sonatu, dici usu venit, eo certissime duco reuocanda, vt, qui sensu illo, participante res, satis vehementi, facileque mouendo maxime polleat, praecipua

n) Aristoph. Nub. v. 229. sq. p. 66. Ed. Kuiter.

o) vid. Plutarch. de adulat. & amic. discrim. T. II. p. 52. ed. Xyland.

p) Vida Poët. Lib. I. v. 327.

cipua naturae dona poëtica possideat. Neque alia est ratio furoris poetici, seu ἐνθυσιασμός, orationem ex ipso naturae habitu depropria generans; Cum enim phantasia ita valeas, ut facile quemuis animi motum induere, ut alienos affectus in te transferre, eosque apte, viuide, fortiterque pro rei natura exprimere possis, quo quidem furor rem poeticum intelligendum optimi Critici dudum ostenderunt, q) illa affectuum concitatio, unde nisi ex sensu, quem descripsi, quo te attingunt alienae res ut propriae, quo aliis plane redderis, proficiscitur? Quid, nisi illud ipsum inauit nomen ἐνθυσιασμός, poetae a Graecis tributum? Quid nisi illud ipsum vel significatione sua indicat *narratio* platonica? r) Hac etiam ratione affectuum interpretem poesin appellare cum Racino s) & Cramerio t), & peccatum esse, quod non disertos solum, sed poetas etiam faciat, cum Quintiliano statuere nullus dubito. Fieri hinc etiam solet quod mirabile alias videri possit, ut qui iudicent de poematibus, reperiant in iis virtutes, quibus non labor studuit & opera poetae: cum enim Homerus mente arque phantasia interesset, quas describebat, rebus omnibus, cum totus in visione sua esset fixus, visa sic delineauit, ut nescius admirabiliter artem omnem praeiret, ita quisque poeta *adspiceret ipse sibi*. Tradidit de hac felicitate poetae, quoad concinnitatem, a furore animi profecta, qua inscia artificiose ambulat natura, quaedam Klopstockius, u) at, boni Dii, quantus vir! quantus ipse poeta! Enim uero & temporum antiquorum memoriae & nostrae aeratis experientia, nisi maxime mobilem, atque

q) vide praesertim Lowth de sacra poësi Hebr. Prael. XVII. p. 204. ed. sec. Oxon. oðde Meric. Casaub. de Enthusiasmo. p. 10. sqq. & Breitling. critische Dichtkunst p. 331. sqq.

r) loc. supra comm. p. 365.

s) Oeuvr. T. VI. p. 43.

t) Poët. Uebersetzung der Psalmen T. I. p. 262. sqq.

u) In comment. præfix. Part. II. *Messiae*. von der Nachahmung des griechischen Sylbenmaßes.



atque eeu ceram formis hominis & naturis imprimendis facile sequem, poetam neminem, ne disertum quidem agnoscunt. Confirmant Ciceronis x) & Quintiliani y) de se ipsis aliisque testimonia. z) *Lo Fontaine*, nisi eo instructus sensu quomodo Ode illa nota Malherbia-
na a) ad poesin complectendam concitatus foret? Denique poetam bo-
num, sine inflammatione animorum, & sine quodam afflatu, hoc est,
sensus huius, quem dixi, expertem, extirisse neminem contendo.
Hanc vero praeципiam mentis affectionem, poetis praesertim, & vt
quisque iis facultate sentiendi pulera similis, tributam, tempora alia,
velut semina ignis in silice latitantia seruant, alia euocant & ad flam-
mam protrudunt. Notum est, quod de *Ronsardo* refert Petitus; quod
idem diuinioribus etiam viris accidisse exemplis pluribus; & vt soler-
vir tantae lectionis, copiosissime ostendit *Illustris Klotzius*. b). His
igitur dictis, diuersam συμπαθείας vim, pro homiaum natura atque
conditione, apparere arbitror. Sequitur, quomodo differre eam
credam, pro rerum ipsarum ad nos relatarum varietate, vt ostendam;
in quo quidem omnis integrae dissertationis ratio versabitur, hic tamen
quaedam ponere iuuat,

§. 6.

Diversa quoad res συμπαθείας natura.

Solet pro vniuersiusque hominis et natura et conditione, prout propior est
relatio, una res ardentiori stimulo accendere atque alia, remissori tangens et
leniori incitatione. Iuuenem innocentem minus quam maritum, et hunc
ipsum pro vxoris natura proprius, minusue attingent haec *Plautina*:

Eia, mea Iuno, non te decet esse tam tristem tuo Ioui c).

Mul-

x) De orat. II. 45. et orat. 37.

y) Inf. Orat. VI. 2. extr.

z) *Lege elegantiissime* hanc poeticam naturam pingentem *Vidam* in *Art.* L. I. p. 113. sqq.

a) Que croires - vous races futures etc.

b) v. eius Comment. in *Vidas Poet.* p. 94. quam operam orbi litterario nauatam dignis-
quo efferram laudibus quaererem, nisi esset *Klotzius*, cuius quidem laudem ego qui
augere possum?

c) *Casina A&A.* II. Scen. 3. v. 1-4.

Multae porro res nos attingunt, hoc est (quia latine accuratius uno verbo exprimere non licet, adeoque eo verbo sic semper utar) sensum participantem procreant, non per se, sed quod ad ea faciunt, quae nostrum sensum mouent. Itaque nos attingit et secum hue illuc Richardus d) transfert, quoniam timemus Elisabethae, et puerulis indigna patientibus, nec, quae paraturum tyrannum videmus, non coniuncta cum fortuna oportet esse eorum, quorum fortunam humanitatis indeoles nostram fecit. Quodsi statuendum est, ut vere est, et postea curatus explicabitur, multas res per vinculum solam, quo alii sint adnexae, nos attingere, neque per se iis *τυπωταις* concitatatio tribuenda videatur esse, neque omnino valere, quod aeuissimum sane naturae humanae alias obseruator Sulzerus e) prohibet, nos natura nostra tum mali omnis tum boni participes fieri, qui quidem cum ipse arbitretur, eadem ratione nos specie boni & mali moueri, qua bono & malo ipso, non videtur antea respexisse ad horrorem insitum nobis, quo, improbos detestantes, abhorremus ab omnibus, quae agant, nec *Medeum* rabie armata nostrum sensum secutus, quanquam moliendo parricidio arctius cum filiis coniungere posse, & *Mahomedum* pseudo-prophetam, quoad in eo est, sui auerſationem tantum excitate. Sensus, quo abhorremus a rebus, plane iniucundus, per se particeps rerum existimari nullo modo potest. De malo, quod refers ad nostram felicitatem, nihil nego, at vero de malis moribus. Qui rem planiorem hic cūpit exemplo, aeat *Marmontelijum* f) docentem pocam, qua via pingendo incendio humanum pectus aggredi debeat. Quae de hac re altac indaginis etiam monenda videtur, iam diligenter percontari studebo, vbi pauca de origine poēeos, quae hue censeo pertinere, disputationero.

§. 7.

d) In Tragoedia nobili cognomine, artis huius magistri, amabilis *Weissii*.
 e) v. eius Theorie der Empfindungen, in der Berlinischen Sammlung vermischter Schriften bey H. Nicolai B. V. St. 1. p. 119. Iq.
 f) Dichtkunst, 1 Th. 7 Cap. p. 167.



Inflatus humanitatis, quae singularia viderinus communicandi cum aliis. Hinc origo poesos. De artis huius consilio et quae inde consequantur, pauca momentur.

Habet hoc omnis humanitas, ut quaecunque viderit homo audieritque singularia, grandia, admirabilia, quaecunque praecipua censeat et viam tritata naturae relinquentia, cum aliis communicare, quo tradantur quam plurimis, enitatur. Quodsi Catonis animum magnum videt Lucanus, quasi gratus felici suo fato, quod talis viri largitum est cognitionem, propagare studet ad alia tempora aliosque homines, quibus forte eiusmodi cernere negatum sit. Quo praestantiora, quae vidimus, reperiuntur, quo maior vis nos adficit, admiratione obstupefactos, eo magis cupiditate flagramus, eadem viuide, planeque ita, ut a nobis conspiciantur, aliorum subiecti hominum et oculis et menti. Hinc vere ex animo depromisit poeta talia:

Ἴπον δὲ μεμάθαι συρετάν τε, καὶ ὄρτυγας

— — — μη —
Θραύστοι χρέοντος ὅλων ἐφώρπων
σὺν δὲ φίλοφροστίναις ἐνκάτοις
Αγνότα, δέξαιτο κῶμον γ).

Simili correpti affectu, dato a natura, ut dixi, humano generi, poetae primi existiterunt. Cum enim, qui mobili erat pectore, virtutes Dei cuiusdam aut praecipui mortalis penitus meliusque vulgo perspexisse se sensisset, ut frueretur secum multitudo noua illa voluptate, ipseque, quae sua essent, transferret in alios, multiplicatus adeo, cecinit in Deorum et illustrium virorum honorem carmina. Omnes autem animi motus non modo suum orationis genus, sed et suum quemdam habent a natura sonum vocis h). Hinc plura poematum genera, quae omnia

g) Pindar. Olymp. Od. VI.

h) vid. Lowth de poesi facr. Hebr. Prael. IV. p. 46-48. ed. Oxon. secund. vbi ea repetit, quae arcem causae meae defendant.

omnia ex affectibus animi, sensum participantem, eiusque comitem, cupiditatem, cum aliis omnia, quae expediatur, communicandi, et secum omnes coniungendi, generantibus originem traxerunt. Excelentes igitur poetae, non coeco quodam inspirati imperu, immortalia illa opera pepererunt. Excitati rerum magnitudine, aut capti pulchritudine, affectuum pleni, ex animo vehementer moto, qui hominem in plurimas formas mutans, Proteum creat, hoc est, τὴν συμπάθειαν cum omnia sua vi euocat, depromperunt verba, quae lectoribus, rebus sub oculis paene subiectis, penitus eas infigerent, dulcique lenocinio rursus eos cum aliis arte coniungerent. Viderunt mortales immortalia opera, attoniti, artemque sollicita cura inuestigarunt, animadvertiscendi iis, quae alios caperent delectando; hinc disciplina poeticae artis ex ipsis poetis ducta et formata est, quae ingenii vestigia, nunquam praecire, sequi semper est solita. Posteaquam principes poetae exprimendis, quae ipsis, sensus participantis ope, calida mente vel phantasia sensissent, attingere viderunt ciues suos, auctoratio delectationis diligenter studuerunt, et ad omnes fere res transtulerunt feliciter. Quae cum ita sint, facile apparet, quid sit, quod tam varia poeseos genera in amore versantia, cuius quidem nec ullum est prorsus expers, omnia nos teneant; late enim patet amor et consensum vniuersae naturae mirifice tuerit. Sed postea de unoquoque genere data opera aucturus, hic tantum noto, inde intelligi, plura etiam inueniri poematum genera posse, quae si modo nos attingere valcent, et placebunt, et ingenio humano adferent gloriam; cuius quidem rei exempla idonea nunc antestari iuntur amabilis Gleimii poemata prussiata, elegantissimi Weissii carmina Amazonum, Willamouii Dithyrambos. Sed et de his infra. Delectationem sumnum artis optimae consilium cum Breitingeri*i*) aliquis doctissimis viris statuendum videtur, cui sententiae nihil officere, quod de purgatione affectuum Aristoteles^{k)} docuit, dudum viri praefrantissimi ita probarunt,

D 2

vt

i) Critische Dichtkunst, 1 Th. 4 Abschn. p. 100, sqq.

k) De Poetic, c. 6.

ut si Stagiritae rigidum satellitem l) hic refutarem, quod planè abuñ daret, dicendum haberem; neque me mouer, quod vir doctissimus, laude sua florens m) de coniunctis secum et permixtis affectionibus et aliis in tragœdia prorulit; non enim affectus sua natura vbiq' delestant, id quod v. c. de horrore, de odio constat, sed quoad poesis iis excitandis συμπάθεια euocat, auget, omnemque naturam propriem nobis sistit. Non itaque delectat poesis ut delectet, ut notar vir elegans tissimus, verum, aut quae separatis per se non delectent, accommodat delectationi, aut delectantibus sua natura maius quoddam auctorip delectationis, sensus participantis auxilio querit, in quo vberius explorando omnis labor meus, omnis cura versabitur. Cum ardet vehementer commotus animus, affectus urgentis, cœn Horatius Bacchi sui, plenus, omnia secum connectere, commouere secum vniuersam naturam inititur, vnde amans ingentem terrarum coelique orbem eadem secum affectum commotione esse sibi persuadet n), interitumque amatae aut res amantium sinistras prata lugent et flumina o). Nos, quomodo haec adhiant, supra notauimus. Fuit haec eadem iam antiquissimis temporibus humanitatis ratio, fuit haec eadem naturae ob-

ser-

l) Du Bos Reflexions sur la poesie et la peinture T. I. Sect. 44. p. 405. sqq.

m) v. Briefe zur Bildung des Geschmacks, 1 Th. p. 59. 61. sqq.

n) Ariosto Rime diverse p. 17.

Visti ho, dove li ferire
De' suoi begli occhi arriva,
In valle, piaggia, o colle
Rider P heretta molle
E di mille colori fassi riva,
L' aer chiararsi, e'l vento

Fermarsi al suon di sue parole attente.

Sed cur aliena ludo cum domestica tam præclara habeamus? Quis est, qui non
legerit, non admiratus sit, non delectatus dudum Kleistian illo incomparabili Idyle
lio: Si flicket fert, es ist um mich geschehen etc.

o) Omnia nunc rident; at si formosus Alexis.

Montibus his abeat, videoes et flumina secca,

Virg. Eclog. VII. 55. sq. adde Eclog. VI. 20. sq.

seruatio principibus poetis, quam mature exceptit adecuratior notatio
adeoque felicior. Plura adderem, nisi praeter ea, quae dixi, esset,
quem interpretrem omnis meae sententiae cooptare possim, multus in
hac re et diligens Cesarotti p) ad quem amandare iuuat, qui yberiora
cupiat de origine poesos.

§. 3.

*Duplex huius sensus causa, quarum altera est in similitudine, altera
in vi sita.*

At enim vero qualis est ille ad me ipsam reditus? quem vt
eundem ubique credam tantum abest, vt, nisi diuersa aperiatur ra-
tio, de omni re vltro, valde incredulus, ambigam. Nunquam enim
adducar, vt nihil interesse mihi persuadeam discriminis sensus, cum
Medorum, quo domino trucidato iusta persoluat, video in medios ho-
stes prorumpere, et neci se sponte sua proditurum haec dicere nouis
fima verba:

Tu rimirrai; che quando in ciel sia sculto
Ch' io vi debba morir, potrai narrarlo;
Che se fortuna vieta si bell' opra
Per fama al mondo il mio buon cor si scopra q).

Meam enim imaginem in *Medoro*, imo etiam me ipse conspicio, qui
cupiditate innotescendi, si praeclara facta edidero, cum *Medoro* eadem
trahar, et dulce ducam solarium admirationem sociorum humanitatis in-
fortunio oppressum me ciere. Hunc igitur sensum nequaque audio
nihil prorsus differre ab illo, qui peccatus legentis illam *aestatis* descrip-
tionem teneat r):

— O'er her glowing form
Harmonious, flow'd the flower-embroider'd vest,

D 3

Girth

p) vid. Eius commentar. vom Ursprunge und Fortgange der Poesie, in der Neuen Bi-
bliothe der Schönen Wissenschaften, B. 2. St. 1. praefertim p. 3-7.

q) Ariosto, Orlando Furioso. Cant. XI. St. 15.

r) v. Ogilvie's allegorical Poem on the Providence p. 26.



Girth with a mantling zone; — her lucid eye
 Beam'd sweetly - radiant; and her cheek outvied
 The cherry's deepening bloom. — — —
 siue illa Vzzii nostri:

O welche frische Luft haucht vom bebüschteten Hügel!
 Welch angenehmer Welt durchzieht
 Mit rauschendem berhaften Flügel
 Dies holde Thal, wo alles grün und blüht! etc.

Ego vero tantum absum, ut nullam statuam hic discrimen, ut vtero naturam eius explicare meum esse ducam. Quodsi intimas pectoris latibras recludimus, legendis ipsis posterioribus poematibus desiderio quodam horum locorum et rerum nos teneri sentimus, in priori similitudinem solam effecisse voluptatem. Nimur rete. Praeter similitudinem enim aliud quoddam agnoscere vinculum, quo siue desiderio, siue timore in poesi adiungamus rebus. Quam quidem relationem in vi (influentiam barbari dicunt) inesse video, quam, cum malorum inde aut bonorum cogitatio oboriatur, res in nos habeant. Hac itaque duplice causa cunctam sensus participantis naturam contineri, inde deriuari posse, plane arbitror. Quoniam ira fert rerum natura, ut siue similitudinis quadam cognitione, siue vis cuiusdam vineulo omnia sint ad nos relata, et inter se, saltem apud poetas, ut vidimus, differat similitudo, et vis similitudine vacans per se efficax, nec quidquam nos attingere, eoque delectare posse pater, nisi hac inita via, qua fiat, ut ipsis, nos existere, suauiter sentiamus, dulcique illo lenocinio cum aliis conneclamur rebus. Homo quo minus valet cernere, quae caliginosa nocte premit Deus, hoc est ad inuestiganda certe coniicienda futura curiosior, adeoque per omnem vitam, ut in futura tempora labore, et futuri cogitatio vitam omnem mirifice sustentet, in quo quidem summan artificis naturae sapientiam cernere mihi videor, quae haec operae humanitati alimenta et dulcia laborum lenimina daret, unde spe ne

ne minima quidem vitae particula plane vacaret, id quod vel testatur
collectans cum desperatione, immersus *Naso* calamitatum vi s). Haec
vero futuri temporis cogitatio cum nos ubique tenet, tum legentes
pulchra poemata, quorum in nos quaedam est vis, nobis sub oculis
subiicientia. Siue enim eundem cum poetico illo nostrum statum aut
fuisse persentiscimus, aut esse, unde viri supra ostendimus, συμπάθεια
nascitur, siue quoniam ipsis nobis natura nostra assentimur, singimus
quamvis obscure t), nos ea voluptate, quam describat poeta, frui aut
esse fruituros aliquando. Hinc si Nisum et Euryalum u) conspici-
mus, fore suspicamur in celerrimo mentis motu et subobscurō, ut olim
talis nobis Nisus contingat, si *Popii Daphnen* x) legimus, in virgultis
istis amoenis adesse nobis videmur amabili Lycidae et Thyrsi, atque
cum iis versari, si *Gessneri*, si *Theocriti* Idyllia, pastores ipsis hoc au-
cupo delectionis reddimur. Quis regiam *Armidae* y), labyrinthum,
diuinas pratorum, riuorum naturaeque ipsius delicias, mentis oculis
conspiciens, non in his ridentibus horris, si humano est sensu, ambulare
sibi rapida emotione fingat?

Ο γαρ νές τῶν Ιδίων λόγου λαζανίν
Πλευ αἰλοτέρῳ τε ψυχαγωγίῃς παθεῖ
Μετ' ἡδονῆς παρέσι παιδεύθεις ἀμα z).

Idem circa hanc rem Marmontelius; nescio quo poetices loco tetigit.
Hunc igitur sensum participantem, ex vi, quam res poeticae in nos
habeant, oriundum appello; diuersum illum quidem ab eo, quem si-
militudo prouocat, at cum eo tamen arctissima cognationis societate

con-

s) Epistol. ex Ponto; L. I. 6. v. 27, sqq.

t) vid. supra §. IV.

u) Virg. Aen. IX. 182.

x) Eclog. IV.

y) v. Tassi Gierusalemme liberata; L. XVI. St. I. 9. 10. sq.

z) Timocles comicus in Διονυσίου σύνταξις apud Athenaeum L. VI. p. 223. et Stobaeum in Florilegio p. 509.



coniunctum; praeter duplēm autem hanc causam, vnde quaesuaque tractet poesis eorum efficacia ducenda est, alia *τρυπαθεῖς* omnis tolēnda esse mihi videtur.

§. 9.

Delectat ille sensus hominis intelligentiam, phantasiam, et sentientiā facultatem. Quia ratione intelligentiam delectat.

At via reditus ad nos probe monstrata limen cordis adhuc clausum est; Fac patescat, dicat aliquis; namque facilis quidem aditus hominis ad hominem exsistāti videtur esse, sed nihil est experienti minus. Enimvero qui ipse se non peritus cognovit, difficulter hominis pectus petere arbitror. Quod ut efficiat, recte teneat:

Mille modis aperire datur mentisque latebras

Quique latente tacito arecani sub pectori motus a).

Si modo suauia hominis intelligentiae, phantasiae, et denique sentientiā facultati adferat. Hos sibi quando amicos conciliauerit, honestū et felici mercede corruptos, delectationis puta auctiō, non adibit solum pectus hominis, sed penetrabit, nōn mouebit, sed reget, arque ut Acheloi natae, ineantrando quoconque volet, facile trahet. Quomodo autem poeta intelligentiam recte delectat? Quomodo phantasiam et sentiendi facultatem? Quod attinet ad delectationem primi generis, poeta quasi fontem nouae cognitionis aperiet, siue res nouas cognitioni suaves, siue nouo quoddam vinculo, res quam maxime diuersas, inter se coniunctas, siue demum similitudines rerum antea non cognitis creans, variaque haec via pabulum cogitationum animanti, a natura cognitionis cupido, præbens. Quo quid potest esse ad delectandam intelligentiam efficacius? Hoc in genere maxime versari mihi *Horatii* *oris poetica*, et *Boilauii*, *Popii* de homine carmen, *Virgilii Georgica*, omniaque eavidentur carmina, quae, quia docent, inde nomen duxerunt, neque non illa, quae ingenii acumine maxime commendantur,

a) Vida Poet. I. III. v. 26. sq.

et Satyrae. Demulcent haec hominis amorem sui ipsius, quae cum intellexerit, acumine suo delectatur et gaudet, non quasi audierit aut legerit, sed quasi inuenerit b). Etsi vero per se est suauis homini eruditus c), haec tamen carminis voluptas, posteriorum generum illecebris destituta, sola per se admodum exigua et leuis reperitur, quippe acriores stimulos oblectandi desiderante possit. Quare sit etiam, ut intelligentiae lenocinium cum posterioribus coniungere optimi quique poetae soleant, nec ullum fere sit carnien, quod hac via ad suavitatem contendat. *Theognidis* enim, *Phocylidis*, aliorumque sententiis nominis huius honorem dare nullo modo possum. Qui iudicant itaque de vero carminum pretio statuendo, existimatores, excusissi quasi his deliciis, ad praeceptiones omnia reuocantes et artis normam, nisi duplice induci persona, et sensum vinci a severitate non possit, ne dulcissima illa carent voluptate ex gemina carminis efficacia oriunda. Viderunt etiam, qui homini delectando studuerunt, hanc duplice et phantasiae et intelligentiae oblectationem sibi adeo finitimam esse, ut sine illa ne haec quidem placere recte posset d), nec in singulis quidem locis illius usum negligerent. Itaque poeta delectatus imitatur, quoad res suadebunt, *Homerum*, qui fatorum diversitatem doceens pingit imaginem:

Δοι γάρ τε πέθοι κατακείσται ἐν διὸς ὄδει
Κηρὸν ἔμπλειοι, οὐ μὲν ἐθλῶν αἰτάρε οὐ δειλῶν e)

et *Hesiodum* virtutis arduum studium ita describentem

Τῆς δὲ αρετῆς ἴδεωτα Θεοὶ προπάρσοντες ἔθηκαν
Αθάνατοι, μηκός δὲ καὶ σφήλος οἵμος ἐπ' αἰτήν, η. λ. f)

Sed

b) Longin. Sect. VII. p. 42. ed. Tollii φύσις γάρ πως ἐπιδίεται ἡμῖν η γένει
αυτὴν γεννήσασσα, οπεὶ ηγένεται.

c) οὖν τὸ μανθάνειν Ariffor. Rheror. L. I. C. XI. p. 146. ed. Cantabr.

d) vid. Briefe zur Bildung des Geschmacks. Th. 2. Br. IV.

e) Iliad. g. Ω. v. 527. sq.

f) ἱρή, v. 287. sqq. compara illa *Gellertiana*: Der Tugend Pfad ist anfangs steil etc.

E



Sed cur, quae satis trita sunt et nota, pluribus explicem? Noto tamen, de quo dico, redditum ad nos effici delectanda intelligentia, cui suavitatem, quae retineat phantasiam, adiungari necesse sit.

§. 10.

De oblectatione phantasiae ex συμπαθείᾳ oriunda.

Sed haec iam per se satis est ad nos attingendos efficax, in qua etiam poesin regnare dudum est, quod viri docti monuerunt. Est autem huius generis oblectatio ea, qua naturae imaginem oculis meis subiectam, similis mei, aut vim in me habentis, deprehende. De relatione similitudinis in tanta limitum meorum angustia, quae addam disputationi Abbtii g) non magnopere hic habeo; nonnulla tamen alio loco prolaturus, quae notatu digna visa sunt. Quod vero vir elegantissimus de imaginibus phantasiae ope vnius pictis notat, eas, si caerant relatione ad hunc procreandum sensum non sufficere, pauca obseruare mihi liceat. Omni omnino caremus sensus excitatione, nulla ad nos relatione animaduersa, an participamus res, cum hanc Ouidianam legimus veris deserpcionem:

Frigora iam Zephyri minuant: annoque peracto

Longior antiquis visa Maeotis hiems.

Prataque pubescunt variorum flore colorum

Indocilique loquax guttura vernat auis.

Herbaque quae latuit cerealibus obruta fulcis

Exserit e rapida molle cacumen humo. etc. h)

Vt de vi, quam in nos hi versus habeant, de qua supra egi i), nihil dicam, quales relationes, quanta nobiscum similitudo reperitur!

Prata pubescens nonne longe iucundissimo nostrae iuuentur sensu nos pertinent? *Aris vernans*, nonne nos ad dulcissimam vitae voluntatem inuitat? *Herba*, quae exserit molle cacumen, quam venustum simu-

g) Vom Verdienste pag. 133. sqq.

h) Ovid. Trist. L. III. Eleg. XII.

i) §. VIII.

simulacrum hominis! Neque tamen homo ipse *huc a poeta positus* fingitur. Animaduertimus autem res inanimatas nostrum similes, id quod ad nos attingendos haud parum confert. Fert igitur mea sententia, poesios verae hanc esse naturam, ut sine omni relatione ad nos, tametsi differat inter se, nulla sit existimanda. Cum enim recens nata illa ars, cuius erat regere hominum animos, sive oratione pedestri antiquior, ut plerique perhibent, sive, quae paucorum est sententia, junior, ad commouendos homines necessarium videret phantasiae persuadere, quae vim habeat in animam longe maximam k), ei accommodauit eloquentiam, visionemque imaginum in subsidium vocauit, quam naturae orationem esse scire animaduertit. Hinc, ut quaeque gens politiori cultura elegantior redditum est, linguae suae suppellebitile vberiori imaginum gaudet, ut artem poeticae ardenter studio excultuit, mutarorum verborum et translatorum diuiri*tiori copia abundat.* Hinc ut pictura poesis fuit, de referendis tamen naturae imaginibus ad nos mirum quantum sollicita. Namque illa ipsa naturae notatio peperit *translationes*, quae propterea, quod ad nos referunt res, cognitionem suauem habent, de qua bene differuit antiquus existimator l). Comparationes et ipsae unde, nisi ex hoc fonte, deriuatae sunt? Num alia de causa nos haec *solis* tam viuide pieta imago tangit?

חָוֹן כְּחַנּוֹן וְצָא מְחַפְּתָן
מִשְׁׂשֵׁי גָּבוֹר לְרוּן אֲרָחָה:

E 2

Habes

k) Lege, si obseruationem meam liquido demonstratam cupis, sagacissimum Marmon-
telium libr. laud. Cap. V. p. 105. sqq.

l) Aristot. Rhetor. L. III. c. 10. p. 473.

m) Psalm. XIX. v. 6.

Laeros sol referens gradus
Prodit ceu thalamo sponsus ab aureo!
Fidens viribus ut Gigas
Praescriptam stadii carpit ouans iter.

Lowth. p. 350.

Habes hic similitudinis iucunditatem, detinet te sol tecum tanta cognatione coniunctus. Quam multa me cogit angustia hic tacere; sed et aliis locis quaedam sunt reseranda. Perspici vero etiam ex iis, quae diximus, satis potest, quid sit, quod poetae, locorum amoenitatem pingentes, solcanti arbores, floresque ibi ponere definitos, atque nominibus additis oculos nostros ad eos aspiciendos dirigere. Quo participes huius voluptatis nos reddant, quasi ponunt nos in iis pratis, virgultis, arboribus. Praefeo esse videmur *populo*, sub qua gemit apud Virgilium philomela, arbori incognitae vix fuissemus praesentes.

— — — ἐν τε Βαθείαις

Ἄδειος χήροις χαμενώτιν ἔκλινθμες,

Ἐν τε νευράσταις γεγαδότες σύναρέσσοι.

Πολλαι δ' ἄμμιν ὑπερθε πατὰ κράτος δονέσσο

"Ἀγαλοι πτελέαι τε τὸ δ' ἐγγύθεν οερὸν ὑδωρ

Νύμφῶν ἐξ ἀντέοι πατεβόμενον κελάρευσσον. n)

En! cur hic describam, quid lector humanus vniuersisque sentiat? quaere autem ex te ipso, cur adsides huic loco? Plane mecum de eo, quod dixi, conspirabis. Attamen optem, si pergam hoc Theocriteo loco legendio, ut ne plura ibi inueniam, quam oculis pererrantibus rete complecti valeo. Singula mirifice placent, at vero coniunctorum simul omnium vereor ut sit capax phantasia. Sed hoc loco haec obiter. Quamcumque mens, rerum pulchritudine concitata, imaginem offerat, non poetae sua sponte aptam esse, tum alii multi, tum bene monuit, qui adeo male sapientem his perstringit:

S'il rencontre un palais il m'en depeint la face,

Il me promene après de terrasse en terrasse etc. o)

At qui in hac arte voluerit vera prudentia vti, in primis teneat, quid ad hominis animum attingendum faciat, quid sensum lectoris, quo rebus participando delectetur, euocare atque detinere possit, tum in omni genere, tum in imaginibus consciendi videndum esse. Quid est enim,

n) Theocrit. Idyll. VII. v. 132. sqq.

o) Boileau Art. Poet. ch. I. 49. sqq.

enim, quod studi sius quaerat, quam delectare et mouere. Atque
succlamat humani ingenii natura:

Le secret est d'abord de plaire et de toucher:

Inventés des ressorts, qui puissent m'attacher. p)

Haec et ipsa d'ebit, quatenus in expingendo prodire debeas; atque
omniem de *umbra poetica* et quae sunt eius generis, doctrinam attinet.
Eadem magistra leuitatem voluptatis, quae verborum translatorum
imaginibus irrepit in lectorum animos, aperiet, atque splendidioribus
orationem distinguere luminibus suadebit. Homini nihil esse coniun-
ctius nihil proprius homine, eius discipulus cognoscet, adeoque non
animas solum omnibus rebus infunder, corporibus induet, nobis, ut
maxime potest, moribus, actione, effectu, vi appropinquabit, verum
etiam hominem ipsum ibi collocabit, quo mentem nostram ducere vo-
let, et dulci suauitatis auctoripio refinere. Verum omnino est, atque
de vniuersa natura pulchra valer, quod de nocturnae Diana et placidi
crepusculi amoenitate *Euae* instillat somnianti Satan:

— — — now reigns

Full orb'd the moon and with more pleasing light

Shadowy sers off the face of things; in vain

If none regard. q)

Id ipsum fuit, cur in antro illo, voluptatis sede, *Homerus* r) poneret
nymphas, et *Poëssimus* Arcadiam suam ornaret sepulchro. Si plura
quaeris exempla, optimos quoque lege poetas; non decurrant. Illud
etiam hic notandum est, cuiuscunque rei a poeta pictæ non mente
complecti et sistere quasi potes imaginem, eam, quia non cognita est,
nequæ te attingere, nequæ placere pos-
sedum ut similis tui cernatur, neque te attingere, neque placere pos-
se, ramets singulæ partes picturæ admodum venustæ sint. Idecirco
iure suo reprehendit *Lassingius Halleri* s) in floribus atque Ariostu t) in
laudanda Alcina intemperantiam. Hoc ipso virio *Ouidius* laborare et,
qui cum plerumque finistro sidere imitatur, *Nemestianus* u) videtur.
Plura, quæ hue pertinent, in locum de poesi pingente differo.

E 3

§. II.

p) Id. ibid. ch. III. 25. sq.

q) Milton's *Paradise Lost*. Book V. v. 41. sq.

r) Odyss. N. v. 102. sqq.

s) In *Laoçoont*. p. 168. sq.

u) v. *Cyneget*. v. 243. sqq. et saepissime.

§. II.

Peroratio.

Iam attineat quaedam de voluptate, qua poesis sentiendi facultatem, συμπαθέτα praeſidio, perfundat, monere, et quanta sit eius cum phantasiae delectatione a natura sancta coniunctio, unde deum efficiatur, vt quod de cingulo Veneris Homerus ecceinit, de vniuersa poesi prohauntiari possit:

Ἐνθ' ἐν μὲν Φιλότις ἐνθ' ἔρεσσ, ἐνθ' εὐριπού
 Πλάστης, οὐτ' ἐκλεψε νέον πυκνόπερ Φρεσέντων. x)

Sed prodigie libellum video ultra quos limites egredi multa verant. Non est itaque, quod addam, praeterquam quod, quae hoc libello disputauit, inchoasse tantum indicem integrum quoddam opūculum, quo, singulis quibusque poeseos generibus illustrans obſeruationib⁹, ex eo, quem posui, participante sensu ductis, ad eum ipsum omnia artis praefidia renocabo, et quae inde consequi videbuntur, nouas forte, adnotaciones adjiciam; denique cum fundamentum artis ingeniosae positum in hoc delectante sensu mihi videatur, pertractare hunc locum pro virium tenuitate aggrediar. Quoniam autem praevideo fore, vt in manus existimantium hic libellus sit venturus, primum petere liceat, ne, quoad viderint, quale aedificium futurum sit, praesertim etiam carentes delineatione, qua hic iure meo quodam me abstineo, reiiciant rudia caementa. Si denique addam, hanc esse vitæ meæ utilitati communi consecratae rationem, vt neque maleuolorum iniurias, propulsandis temporis thefauros perdam pretiosos, cum diem me satis esse defensurum probe sciam, neque amicorum reprehensionem iustum aegre ferat perfectionis studium, idem vero ex utraque parte, quo inimicos vlicifar, amicos reuercar, proficiendi meique emendandi copiam mihi faciam, omnia mihi dixisse videor, quae mihi ipse et orbi debebam.

x) Iliad. E v. 216.

S C H I R A C H I V S

S C H V T Z I O S V O

S.

Ingentis laetitiae, qua causam meam palam defendendi studiam T V V M
me perfudisset, si documenta expromam vel maxima, consuetudinis qui-
dem solemnitati, sed neque T V I S meritis, neque meae in T E voluntati fa-
tis fecisse videar. Facile enim fuisse gloriola, quae ex eius generis honore
redit, fuisse doctrinae specimine carnis, parvo post tempore editurus, quo-
rum vindicare sibi partem nemo alius posset, nec T V O proprio ex agro fru-
ges prolaturus, ex alieno quaestum quaerere necesse habuisses. Quod igi-
tur, posteaquam T I B I desiderium aduocati cause, qui recte respondere
posset, aperueram, illud minus non T V A plane causa, sed prono in mean-
tantum rem animo suscipisti, quodque in consilii mei societatem prompta-
venisti et amica mente, ut omnia, quae mos iubet celebrare, omittam, me
T I B I sane quam multa debere, lactus profiteor. Quae omnia et si per se
iucunda, quoniam a T E proficiuntur, honoris causa etiam mihi esse recte con-
fio. Quantus enim voluptati additur honoris cum is, quem magnus S E M-
L E R V S vere diligit, M E I E R V S virtutis et sapientiae antistes et exemplum
dum iam complicitur, omnes probi et docti amant, omnes amantes doctum

et

et probum iudicant, cum is, quem plurimi amicum sibi optant, pauci nanci-
scuntur, obtingit integer amicus. Quibus, quaecunque ad laudem solent
esse amplissima, de te dixi; namque SEMLERI et MEIERI studia adsequi
sola virtus potest, insignia laudis multi etiam sine virtute adsecuti sunt.
Neque etiam fieri potuit, quin TV quotidie SEMLERO fruens ad illam
optimae vitae normam respiciens, ut qui in sole ambulat inde colorem na-
tura dicit, sapientiae virtutisque studio perenni vitam consecrare TVAM.
Namque ego ipse, quoties cum tali viro collocutus, sentiendi liberalitatem,
magnitudinemque animi perspexi, ultra me elatus ardeo incredibili cupiditi-
tate, vita ut mea, quoad liceat infirmitati, ad illius similitudinem in dies
accedat. Inuidet parne hoc proficiendi studium conditioni TVAE, quae
TIBI ne vacuum quidem ullum tempus ab tanti animi conspectu relinquit.
Accipe itaque hoc loco amici, de TVA exoptatissima fortuna, quae et fu-
tura TIBI tempora quam felicissima spondet, candidam gratulationem.
Quanta sit TVI apud me, iudicio certo nata, exquisitatio, hic quidem ver-
bis declarare nihil proposito attinet. Cum vero optem, nostram amicitiam
ad diuturnitatem propagari, similitudoque studiorum arctissimum sit vincu-
lum; imitemur coniuncto ardore SEMLERI nomen, hoc est, virtutum per-
fectionem, qua et ad stabiliendam nostram veram felicitatem nihil certius,
et ad sinceram, virtute alendam, amicitiam, nihil potest esse san-
ctius. Vale et me, ut facis, ama sospes. Scr. Halae

die XI. Oct. 1766.



halle, Diss., 1766-67

ULB Halle
002 057 565

3



St

Retrov



IO

SIVE DE

ΣΥΜΠΑΘΕΙΑΙ POETICA

DISSERTATIO PHILOSOPHICO - CRITICA

PARS PRIMA

QVAE

EX AVTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

A. D. XIII. OCTOBR. MDCCCLXVI.

AB HOR. IX.

ERUDITORVM VIRORVM EXAMINI SVBIICIETVR

PRAESIDE

GOTTLOB BENEDICTO SCHIRACH

A. M. SEMINARI THEOL. ET ALVMNOR. REG. INSPECTORE

DEFENDENTE

CHRISTIANO GODOFREDO SCHÜTZ,

SEMINARI THEOL. SENIORE.

HALAE,

LITTERIS BEYERIANIS.

